

1843

## C O D I C E S

1844

*cipi suo Clementissimo. Authore  
M. Joanne Ziegelio Constantiensi.  
Prioris Epistolae Titulus et ini-*

*tium: Ecclesia Catholica Christo  
Jesu Sponso Suo.*

*Littera nostra petit, soleat quæ ferre salutem,  
Scribat amatori siqua puella suo. &c.*

Adversa sua et calamitates prae-  
cipue a *Turcis* illatas carmine  
non ineleganti exponit, opem-  
que poscit. Alterius Epistolae

Titulus et initium: *Christus Je-  
sus Ecclesiae Catholicae Sponsus  
Suae.*

*Quid, mea Sponsa! iuuat scripto misisse querelam,  
Cum tua jam scires me mala nosse diu. &c.*

Post amicas exprobrationes, quas inter et illa:

*Diuitia creuere tuae crescentibus annis.  
Principium vitii res fuit illa tui.*

*Quo magis argento, gemmis, auroque nitebas,  
Hoc animi Virtus est tua facta minor.*

auxilium addicit. De Autore *Ovi-  
dio*, ut adparet, innutrito nil re-  
perio. Elegias suas multis im-  
pressis potiores elucubratus vi-  
detur ante annum 1526. quo  
*Ferdinandus* regiam *Bohemiae* co-  
ronam adeptus est.

## CCCCLXIII.

677 Codex chartaceus lat. Sec.  
XVI. Folior. 281. 4. complec-  
titur Sacrarum Dictionum Adum-  
brationes manu *Friderici Nau-  
seae*, antequam ad *Viennenses* In-  
fulas promoveretur, in chartam  
coniectas, eisque geminas, quas  
alibi produxi. Chorum ducunt  
*Homiliae XII. contra Anabapti-  
stas*, quarum fronti adscriptum  
est: 1537. per me *Collegę* et

*predicę in Ecclesia Cathedrali  
spirensi. Incipiunt vero: Qui cre-  
diderit et baptisatus fuerit saluus  
erit: Qui non crediderit condem-  
nabitur. Mat. vlti. Duo exprimit  
dominus cuique saluando necessaria  
&c. Ceterarum elenchum Vir la-  
boriosissimus in anteriore Codicis  
Theca ipsemet purpura texuit.  
Quaedam annos praeferunt, pu-  
ta 1537. 1538. Fol. 37. haec  
de Anabaptismo legas: *Huius  
erroris auctor nostro seculo Doctus  
Balthasar Hiebmeier ex Fried-  
berg. Neque is in eadem materia  
et sententia perstitit, qui et ali-  
quoties afferebat cum pelagianis  
infantes peccatum originale non  
contraxisse et ideo saluantur, ali-  
quoties dixit regnum celorum par-  
uulis minime deberi. Vltimo prius-  
quam**

1845

P O L E M I C I.

1846

quam igne cremaretur Viennæ in Austria Anno 1528. totus factus errabundus pueros noluit confiteri, an saluentur uel damnentur, sed idipsum committendum esse misericordie dei et eius omnipotentie. Etiam Anabaptisimum semel abiurauit et reuocauit in Ciuitate belueticorum Zurich &c.

## CCCCLXIV.

- 659 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 29. 4. inscribitur: *Colloquia privata Super publico colloquio pro concordandis nonnullis in christiana Religione controuersijs, nuper Vuormatie cepto, Ratisbonæ uero (quod faxit Deus Opt.) in Comitijs Imp. consummando. inter D. Fridericum Nauseam, M. Philippum Melanchtonem, et M. Bucera habita. Sequitur: Additus est etiam Catalogus Doctorum tam Catholicorum, quam Protestantium, Vuormatie presentium. Verum Catalogus is in Exemplo non comparet. Denique infra haec adscriptum alia manu: Ex hoc Exemplari Viennæ impressus est hic tractatus. Et adjacet mihi haec Impressio, quam tribus Exemplis seruat Bibliotheca Augusta, quamque, ut nec Locum, nec Annum praeferat, testimonio tamen Codicis, et characteribus Officinae Singrenianae noscendam in Supplemento Historiae meae Typogr. Viennæ vernac. descripsi. Colloquio publico Wormaliae initium datum est 13. Jan. 1541. inter Phil. Melanchthonem et Job. Eccium Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

Moderatore Granvellano, finis impositus 17. ejusd. mensis, tractandis omnibus ab Imperatore Ratisbonam avocatis. Noster uero privatus congressus inter Viros supra nominatos, quibus accensendus D. Casp. Cruciger, incepit 19. Dec. 1540. in aedibus Job. Frid. Aurimodii Doc. Theol. et Praedicatoris Eccl. Wormal. ubi Nausea e lithiasi aeger decumbebat. Constat is praeter oretenus ultro citroque dicta Epistolis Philippi ad Nauseam III. Buceri ad Eundem IV. quarum ultimae maxime prolixae in Cod. et Impressis subditur: Respondisset ad haec omnia ipse D. Nausea, nisi preter omnium opinionem ob Imperatoris aduentum solutus fuisset Colloquij Conuentus, Die XVII. Januarij, Anno MDXXXI. Atque hic fuit hujus, ut omnium, Colloquii eventus, in quo tamen humanitate et moderatione utrinque certatum est.

## CCCCLXV.

- Codex chartaceus lat. Sec. 564 XVI. Folior. 342. continet Scripta Polemica Johannis Felicis cujusdam Poloni O. M. quorum breuiter texemus Catalogum, cum iis immorari operae pretium non fit, unde et a Waddingo in Scriptt. Ord. sui praeteritus videtur. Epistola ad illustrissimum Regem Romanorum ac Boemorum Ferdinandum cum omnibus filiis suis, in qua Luthero offertur Monomachia: eo pacto ut victus decolletur

S s